



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Sessio IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

rendum esse, & ex nunc transferri, & ibidem Sessionem iam indictam, Statuta die, 21. Aprilis celebrandam esse, & celebrari, & successiue ad vltiora procedendum, donec Sanctissimo Domino nostro, & sacro Concilio expedire videbitur, vt ad huc, seu alium locum, communicato etiam consilio cum Inuictissimo Cesare, Christianissimo Rege, & alijs Regibus, ac Principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit, & debeat? Responderunt. Placet.

SESSIO NONA,
BONONIAE CELEBRATA
D. B. XXI. MENSIS APRILIS M. D.
XLVII.

Decretum prorogationis Sessionis.

HAec sacrosancta œcumenica, & generalis Synodus, que dudum in ciuitate Tridenti congregata erat, nunc Bononia in Spiritu sancto legitime cōgregata, presidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Pauli diuina prouidentia Pape III. eiusdem Reuerēdissimi Domini D. Io. Maria, Episcopo Prænestino, de Mōte, & Marcello, tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, S. R. E. Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis, considerans q̄ die 11. mensis Martij, presentis anni, in generali publica sessione, in eadē ciuitate Tridēti, & in loco cō-

suet o

sucto celebrata, omnibusque agendis de more
 peractis, ex causis tunc instantibus, vrgētibus,
 & legitimis, interueniente etiam auctoritate
 sancte Sedis Apostolicae, eisdem Reuerendissi-
 mis presidentibus etiā specialiter concessa, de-
 creuit, & ordinauit, Concilium ex eo loco in
 hanc ciuitatem transferendū esse; sicuti trans-
 tulit; itemque Sessionem pro presenti die 21.
 Aprilis, illic indictam, vt de Sacramentorum,
 & reformationis materijs, de quibus tractan-
 dum proposuerat, canones sancirentur, & pro-
 mulgarētur, in hac ipsa ciuitate Bononie cele-
 brari debere, consideransque nonnullos ex Pa-
 tribus, qui in hoc Concilio interesse consueue-
 runt; his superioribus, maioris hebdomade, &
 solennitatis Paschalis, diebus, in proprijs Ec-
 clesijs occupatos, alios etiam, alijs impedi-
 mentis detentos, huc nondum accessisse, quos
 tamen breui affuturos sperandū est; ac propter
 ea factum esse, vt non ea, quam sancta Synodus
 desiderabat, Prelatorum frequētia potuerint
 materie ipse Sacramentorum, & reformatio-
 nis examinari, & discuti: vt omnia maturo cō-
 silio, cum dignitate & grauitate debita fiant;
 bonum, opportunum, & expediens censuit, cen-
 setque, Sessionem prædictam, quæ hoc ipso die,
 vt præfertur, celebranda erat, ad diem Iouis
 infra 8. Pentecostes proximè futuram, quo ad
 ipsas materias expediendas differendam, &
 prorogandam esse, quemadmodum differt, ac

pro-

Prorogat; quam diem & rei gerendæ maxime
 opportunam, & Patribus præsertim absentib.
 per commodam, iudicavit, & iudicat: Hoc ta-
 men adiecto; quod terminum ipsum ipsa Sancta
 Synodus, pro eius arbitrio, & voluntate, sic-
 uti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in
 priuata Congregatione, restringere, & immi-
 nuere possit, & valeat.

SESSIO X.

BONONIAE CELEBRATA
 DIE II. MENSIS IUNII,
 M. D. XLVII.

Decretum prorogationis Sessionis.

Quamuis hæc Sacrosancta œcumenica &
 generalis Synodus Sessionem, quæ die vi-
 gesima prima mensis Aprilis, proximè præte-
 riti, super Sacramentorum, & reformationis
 materijs in hac inçlyta ciuitate Bononiæ ex
 decreto, in vrbe Tridentina, in publica sessio-
 ne, die vndecima mensis Martij promulgato,
 celebranda erat, propter aliquas causas, ac
 præsertim propter absentiam nonnullorum Pa-
 trum, quos breui affuturos sperabat, adhuc præ-
 sentem diem differendam, & prorogandam esse
 decreuerit: volens tamen cum ijs, qui non ve-
 nerunt, etiam adhuc benignè agere, eadem Sa-
 crosancta Synodus, in Spiritu sancto legitime
 congregata, præsentibus in ea eisdem sanctæ
 Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicæ
 Sedis